

Motum uerum augis communis mensurare.



**M**EDIVS motus augium & stellarum fixarum absq; radice quæritur, medius autem motus accessus & recessus octauæ Sphærae cum radice, sicut alij mediij motus. Aequatio autem motus augium talis est: Cum medio motu accessus & recessus octauæ Sphærae intra rotulam æquationis octauæ Sphærae, quærendo signum & gradum eius in ordine duodecim signorum, supra eundem protendendo filum instrumenti, quod ostendet tibi in limbo interiori gradum & minutum, cum litera A uel M: A quidem addendum, M uero minuendū à medio motu augium & stellarum fixarum, & proueniens augem communem denotabit.

Augem cuiuslibet planetæ inuenire.

**A**DDE augem communem radici augis cuiuslibet planetæ seorsum è tabella radicum augium planetarum tempore incarnationis Christi, & proueniet aux uera planetæ.

EXEMPLVM.

Pro medio motu augium & stellarum fixarum.

Radice caret	S.	G.	M.	S.
Anni à 500	0	11	1	13
Anni 20	0	0	8	49
Ianuarij 16	0	0	0	1

Pro medio motu accessus & recessus octauæ Sphærae.

Radix incarnationis Christi.	S.	G.	M.	S.
	11	29	12	34
Anni 1500	2	17	8	34
Anni 20	0	1	1	43
Ianuarij 16	0	0	0	8

Medius motus augiū & stellarū fixarum. 0 | 11 | 10 | 3

Medius motus accessus & recessus octauæ Sphærae. 2 | 17 | 22 | 59

**I**UXTA doctrinam huius Canonis protraxi filum instrumenti supra gradum 17. & proportionaliter 23. ferè minutū Geminorū, signi uidelicet secundi completi, & 17 graduum medium scilicet motū accessus & recessus octauæ Sphærae iam inuentum, sub eadem enim fili extensione reperi in ordine graduum seu limbo interiori, 8 gradus, minuta 47 ferè cū litera A, qui sunt gradus & minuta æquationis addendi, quos cum medio motui augium & stellarum fixarum iunxero, prouenit aux communis temporis dati.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus augium & stellarū temporis dati.	0	11	10	3
Æquatio.	8	47	ferè A.	
Aux communis anni 1520, ad diem 16. Ianuarij.	0	19	57	3

Huic